





WIMBP  
Opole



630 st.

K-19/69

Sharpeier.  
Petersburg  
1910

BELLARIA

APOLLINIS CRACII,

EX ACADEMICO HELICONE,

Virtutis & Eruditionis opimis

& optimis fructibus fœcundissimo

ALLATA,

*Nec non*

VIII. VV. DD. PRIMÆ LAVREÆ

CANDIDATIS,

ad mensam primi Philosophici Honoris,

*DUM PER*

*Excellentissimum ac Doctissimum Dominum,*

M. SAMUELEM

JOANNEM

PODGURSKI.

Philosophiæ Doctorem & Professore, C. M. V.

Sacrâ Authoritate Apostolicâ Notarium Publicum,

Artium & Philosophiæ Baccalaurei

In frequentissima Magnorum Hospitum Corona,

RITU SOLENNI CREARENTUR,

*A*  
JOSEPHO ANTONIO MANSY,

*Ejusdem Laureæ Candidato,*

In Symbolum alacris & propensi in

Confratres animi,

APPOSITA.

Año Symposium in terra celebrantis DEI-Hominis 1694. Die 18. Octobris

CRACOVIAE, TYRIS VNIVERSITATIS.



Ε. XXII 5. 129

In Stemma Illustris & Admodum  
Reverendi Domini.



Quod cælos, animas, Patriam, Venerande Sacerdos  
Cures, idcirco Lilia terna nitent.  
Una corona Tibi non sufficit optime mysta,  
Ergo tres probitas, porrigit ipsa Tibi.  
L. AURENTIUS LUKINI S. S. P.

L. C. R.

ILLUSTRI & ADMODUM REVERENDO DNO

D. NICOLA O  
DEL PACI,

DECANO Casimiriensi, PRÆPOSITO in Konin-  
skawola, AVUNCULO & BENEFACTORI  
Colendissimo.

Author, post exactam longam annorum & meritorum seriem,  
in Calesi Triclinio, Regias Agni dapes optat.

**B**ella Palladis esse bella, quis ambiget?  
post quæ, bellaria Victoribus apponuntur,  
Fuerint sanè Martis immanes deliciae,  
ex inversis arboribus, Succum sanguinis optare.

Pallas tamen Thomiris non est:

Nullum Cirum sanguine satiavit.

Minervæ quidem nomen sortita est,

non tamen minuit nervos Vitæ,

Imo dignum laude virum, vetat mori.

Quot cultores suos, tot Thiasotos,

Illapinastas & Eranitas habet, quos heroicè tractat.

Illius Triclinio nihil est augustius,

licet neq; Pazzones Samios, neq; Indicos Phasianos,

neq; Rhodiorum Helopes, convivantibus apponat.

Apud molles Asiaticos vel rerum Dominos Quirites,

nemo tam dedicate edit.

Sæpè enim Regum saliares cenæ, Thyestæ sunt.

In vno boleto Claudius mortem edit.

Tot Phagones, pro salute explendo Cyatos,

salutem amiserunt.

Tritoniæ autem virginis bellaria, Iove digna sunt,

Cibos illa Deorum convivis apponit

Ambrosiâ satiat, nectar propinat:

Adeste ergo, & este felices Homofiti.

A

Sapien-

*Sapientia edificavit sibi Domum, posuit mensam.*

Augustum Symposium instruitur,  
dum ad plenitudinem deliciarum, gemmei flores sparguntur.  
Sed Chloridis Cymelia Autumnus negat? nequaquam.  
*Imò dantur manibus LILIA plenis*  
ex Tuo Lilieto.

*Illustris & Admodum Reverende Domine,*

**NICOLAE DEL PACI,**

DECANE Casimiriensis, PRÆPOSITE in Koninškawola &c.

In Regali Sacerdotio vernans, Regina florum,  
ridet furias Aquilonum.

Ver agunt perpetuum gemmei Flores LILIORVM Tuorum,  
quos iuxta Iagiellonicum Manipulum, Cracius Phæbus fovit.  
Eorum illibatus Candor,

in horto nostræ Palladis ita vernavit;  
vt omnium oculos pulchritudine suâ recrearet.

Omnis politioris Scientiæ decor,  
erat ornamentum eius.

Primæ magnitudinis in Polo nostro sydera,  
nunquam non benignum dabant Lilijs Tuis influxum.  
Vel ipse Gentilitius LVBOMIRSCIORVM NILUS,  
gratiæ alveis in ea effusus est;

*Dum Illustrissimus & Excellentissimus Dominus,*

**D. STANISLAUS LUBOMIRSKI**

S. R. I. PRINCEPS, Supremus Regni Poloniæ

M A R S C H A L C V S &c. &c.

Dexteritati Tuæ præfecturam Domûs commiserit.

Ad Regnum etiam Liliorum profectus;

Tuis in itinere LILIIS stipari voluit.

Candorem sinceritatis, ipse Plinius, in his LILYS miraretur.

Odorem Magni Nominis,

Quod rerum agendarum dexteritate, Civilis prudentiæ peritiâ  
comparasti:

Nullus Dioscorides explicaret.

Vigor Tui Masculi ubiq; pectoris,  
in exemplar omnibus ponebatur.

Recti

Recti honestiq; ex integro cultor.

Crescentis supra alios flores LILII virtutem demonstrabat.

Virum Te Liliatum, cui libet exhibueras,

Foris candidum, fucum nesciente animo,

Intus deauratum charitate non fictâ.

O! mirabilem, mentis Tuæ floridæ, omnigenis dotibus genium &

Tot fortunæ hortos nancisci poteras,

quot Magnatum vltro oblatos habueras favores.

Tu tamen amœniorem Hesperiam quæstivisti.

*Austrum nempe mundanae felicitatis, nocere Lilijs nostris,*  
idcirco Viridarium Ecclesiæ petisti.

In hoc, spirantibus Divini Pneumatis Favonijs,

in ipso flore fructum pietatis exhibuisti;

Ex quo ad ornandas Numinis Aras, Flores Tuos dedicasti!

Illico bonus Christi odor factus, Ecclesiam recreasti.

Eloquio Domini casto, quid nisi Lilia spargis?

*quæ virtutum apes alliciunt, serpentes scelerum repellunt.*

Ecclesiasticæ disciplinæ in Tuo Decanatu stator & assertor,

quidquid in Decanali conventu inferis, exemplo probas,

Ita minores foscuculos, augustior flos excitas,

Vt ad mensuram virtutem Tuarum accedant.

Phæbi Æmulus,

qui minora sidera, suæ exemplo Lucis accendit.

Verum surgat sponsæ Tuæ Ecclesiæ Magnificentia

Tuarum virtutum testis;

Splendida hæc & ornata,

Splendores effusi in Aras Divorum, pietatis Tuæ demonstratur.

Macte animo Numa pientissime!

Tot Tibi stant trophæa,

quot altaria Divis extruxisti,

Ipsa Divinior Ægeria, Deipara Virgo;

Immaculatæ Conceptionis suæ mysterium,

arctius pectori Tuo infixum esse gaudet;

Cuius Confraternitatem fundasti, & introduxisti,

*Ita & Agnum qui pascitur inter Lilia,*

*& Hortum Liliorum conclusum,*

Tuis Lilijs cumulasti.

Herculei ergo pectoris, labores,

Symposium aliquod relaxando animo requirunt.

Verum, Tu animæ lautitias quærens;  
quidquid cuticulam saginat, Tutelarîs Tui exemplo, naufcas.  
Ergo Cracia Pallas,  
Noua exponit Bellaria, quibus animus saginatur.  
Arridebunt PALATO hæc fercula.  
quæ Te magis, quam olim antiquos, cerebrum Iouis, delectabant.  
Habes flores, & iam fructus Apollo addit,  
Primus hic honoris mei Autumnus,  
quem favoribus Tuis fecundasti;  
Tibi Clientale reddit tributum.  
Exigua hæc Bellaria, almo gratiæ sinu excipies,  
donec majora sub auspicijs Tuis creverint.  
Cumq; Laureatûs fructus meos,  
in Trichinio pectoris Tui deposuerim;  
Etiam hoc votum appono;  
Vt Tuis Lilijs Maxima in Ecclesia DEI  
gratiarum & honorum excelsitas contingat.  
Vt in Cælestis Paradysi Hesperiam,  
post plurimas aristas transplantentur.  
Vt post Symposium Eucharisticum,  
Ad Cæleste, visionis DEI convivium inviteris.

Hoc Vovet,

*Humillimus & devinctissimus*

*Illustris & Admodum Reverenda Dominationis.*

*Client.*  
JOSEPHUS ANTONIUS MANSY  
Primæ Laureæ Candidatus.

# B. JOANNI CANTIO,

S. THEOL: DOCTORI & PROFESSORI,  
Regni Poloniæ, & Academiæ Cracoviën:

PATRONO,  
ÆTERNO CÆLITUM SYMPOTÆ.  
Cornu Cælestis Copiæ fructibus Paradisi refertum.  
CVM LEMMATE:

Delicio Cæli, dat Cælum delicias.



Audibus immodicis, cur jactabunda vetustas,  
Divitis Alcinoi mensas celebrare superbas,  
Hortorum sapos fructus, Bellaria, grandi  
A populis extorta manu, sumptuq; stupendo,  
Exporrecta, nihilq; Tragemmata, Pemmata, Conchas,  
Non cessas jactare diu? quid Roma vetusti  
In Curijs oblita tui, moderaminis, ingens  
Infandi luxûs ostentum prodis, in illo  
Cæsare Calligula? Quid cænas Domitiani  
Nunc revocare iuvat? portenta Vitellus; atq;  
Luxus vnde tulit Romam, Heliogabalus excors?  
Horrida monstra gulæ sileant Musæ; Neq; dirus  
Iam Nero præsentet, stillantia balsama mensis:  
In quibus attagenum cerebrum; Phrygiæq; volucris,  
Lac murænarum positum nec non Ægyptia palma,  
Quasq; suis terris, producit Iberia glandes,  
Sunt olim solitæ cupidos satiare Quirites.  
Qualia Purpurei, comedunt Bellaria Reges,  
Delicias ex gemmis, quas, Cleopatra paravit;  
Nobilior conviva Deûm fastidit, & omnes,  
Quotquot Mundus habere bolos se iactat, inanes,

B

Infi-

Inspidosq; putans, generoso pectore tenuit.  
CANTIVS; Ambrosijs, cæli satiatus opimis,  
O Decus eximium! Dux præsidiumq; Polonæ  
Palladis! o Lechiæ, Spes & Tutela salutis!  
O mentis niveæ Candor! castiq; pudoris.  
Flos illibatus vitæ, lux, gnomon, amulsis,  
Exemplar probitatis, honesti Regula, carnis  
O Victor! domitor sensûs! cui nulla voluptas  
Mundi complacuit, quando bonitate supernâ  
Illectus, Superum vivens conviva fuisti,  
Numinis ad mensam, CANTI Nutrite Sacerdos!  
O celebrare Tuas, quis Vel comprehendere posset,  
Thespiadum vates, digno narrare cothurno!  
Quis Maro delicias Cæli, dulcemq; valeret  
Ambrosiam, nectar, sèves Superumq; sapes?  
Queis conviva cibuscq; DEVS. dulcisq; MARIA  
Te satiaverunt. Collis Solymanus abunde,  
Et sedes Augusta Petri testentur alacri  
In queis quasieras animo solatiâ Cæli  
Præstiteras quæ Liba Deo? dum pauperis ipse  
Accipiens speciem, Dominus terræq; Poli;  
Se solatus erat donis, ac vberè dextrâ  
CANTI Magne Tuâ; chlamidemq; cibumq; reponens  
Mire, quem dederas. Sed thaumaturga IOANNIS  
Dextera quæ gessit non grandia semper in orbe?  
Quidquid languores, Lachesis, fors, fecit amarum,  
CANTIVS id reficit mirâ pulcedine cunctis  
Subueniens; parcas, morbos, casuscq; repellit!  
O Doctores; Mystraq; Dei Patrone IOANNES!  
Delicijs Cæli plenus conviva, Tuorum  
Sis memor in terris Pater Alme clientum;  
Ut vitæ post bella queant Bellaria fausti  
Numinis Auxilio, fortiter in Paradiso.

Clari-

*Clarissimis, Excellentissimis, & Admodum Rûdis Dominis,*  
DD. EXAMINATORIBVS,

*Clarissimo, & Excellentissimo Domino,*

D. M. G A S P A R O  
C I E K A N O W S K I,

Philosophiæ Doctore, Astronomiæ Ordinario  
Professore, Collegij Minoris Patri Seniori,  
ac interea Artisticæ Facultatis DECANO.

*Clarissimo, & Admodum Reverendo Domino,*

D. M. B A S I L I O  
P L A S Z C Z E W S K I,

Philosophiæ Doctore, Collegæ Majori, Tratinoviano & Lingvæ  
Græcæ Professore, DECANO Sanctæ ANNÆ.

*Clarissimo, & Excellentissimo Domino,*

D. M. A L B E R T O W O L S K I,

Philosophiæ Doctore, Collegæ Minori, Ordinario Astrologiæ  
Professore, S. ADALBERTI in Circulo Crac: PRÆPOSITO,  
Sacra Authoritate Apostolicâ Notario Publico,

In argumentum debitæ gratitudinis & venera-  
tionis, Aurea Hesperidum mala.

C V M L E M M A T E

Aureis Aurea.

**P** Habes Parnassi moderatorem Almi,  
Thespiæ Turbæ bonus Imperator,  
Diuidens Magnis meritis honores,  
Atq; Coronas.

Anxio sensu meditaris, Unde  
Ternisumat venerandus omnem,  
Pectoris grati venerationem?

Digna reuoluis.

B 2

Clari-



Claritas eius superat Pelasgae,  
Nomen excelsum merito Mineruae;  
Vincit & septem Numerum Sophorum,  
Ternio doctus.

Inclitae quidquid memorant Athenae;  
Quidquid augustum celebrant per Orbem;  
Hoc virum ternus meliore nexu  
Continet ordo.

Vendicat primam sibi CIEKANOV;  
Purpuram gestans, Genius Sophorum  
Gloriam, qualem Archimedes Platoq;  
Non meruerunt.

Ac petunt flamma veluti supernam  
Aetheris partem, subitoq; cursu,  
Infimos relinquunt penitus Penates,  
Et loca terra.

Sic eius Virtus animusq; doctus,  
Erigit vultum super Astra celsa,  
Syderum gyros, variatq; cernit  
Lumina Phaebe.

Sive Sol currum posuit coruscum,  
Ante flammantis penetral Leonis,  
Callet, & quando Pyroenta Ponti,  
Abluit Vndis.

Clarus est doctis Sophiae triumphis,  
Aula quos vidit Iagelonis Alina,  
Cum legit cursum memoranda prompsit,  
Dogmata cunctis.

Mille PLASZCZEWSKI meritis decorus,  
Quem ferunt Musae geminando dulces,  
Eius in laudem numeros, eburna  
Barbita pulsant.

Stoae quem novit Cracidos, probantq;  
Porticus Doctae, celebrat Minerua;  
Inclitus semper. Lechica Senatus,  
Datq; triumphum.

Suada

Suada quem sacris facit in Cathedris,  
Tullium quando populus disertus  
Prædicat laudes superum, Poli q;  
Monstrat amorem.

Gratia festivo fluit huic ab ore,  
Suavitas, quando lasidum lepores  
Fundit, ostendens Latio iugatam  
Hellados oram.

WOLSCIVM doctae memorant Camena,  
Atq; commendant solidi labores,  
Classium; quando docuit novella  
Pignora Regni.


Masculum pectus, varijs repletum  
Artibus, Iuris studijs decorum  
Fert, cui famam cumulavit almam  
Diva Mathesis.

Ergo protantis meritis, Apollo  
Conferes qualem venerationem  
His viris? Craci petit hoc Minerua,  
Dic age quæso?

Audio votum, videoq; mentes  
Aureas horum toties virorum;  
(Sic ait Phæbus) meritis & ampla  
Munera dono.

Herculis carum spoliū, quod horto,  
Sustulit quondam Hesperio triumphans,  
Affero; doctum recreent palatum,  
Aurea mala.

Aureos ipsis animos supremum  
Indidit Numen, merito quadrabunt  
Aurei fructus Heliconis; Ergo  
His potiantur.



C

BEL-

# BELLARIA APOLLINIS CRACII.

II. V. D. NICOLAO MICHAELI  
GORDON Leopoliens:

*Aureum Pomum à Iove tribus Deabus missum,*  
CVM LEMMATE:

Pulchriori & doctiori detur.

Paris Dearum pessimus arbiter,  
Pomum, quod alto misit ab æthere,  
Rector Polorum, digniori  
Cederet, ut fieretq; pignus;

Demptis Deabus nobilioribus,  
Adiudicavit Cyprigenum Dea.  
O si videret nunc Tuarum.

Eximium decus ille dotum,  
Præclare GORDON, delictum Tui  
Leonis almi! quam merito Tibi  
Malum dedisset, vel Tonantis

Arbitrio caperes tributum,  
Junonis in Te, pulcher honos nitet,  
Minerva doctum pectus & incolit,  
Est elegans vultus; proinde  
Fructus hic, est tibi conferendus.

Ergo Supremi iam capias Iovis  
Pomum; manet Te pro meritis Tuis  
Et dotibus pulchris, hic honor;  
Sit gradus ille Tibi futuri.

III. V. D. FRANCISCO LORSKI,

*Mensa bellarys pretiosis instructa, & ornata quam Phæ-  
nicenses Phæbo orienti consecrabant.*

CVM LEMMATE:  
Dignus conviva Phæbo.

Sic Te Diva potens Craci,  
Sic Phæbus Lechicus muneribus beat:  
Ut Mensam dederit suam,

LORSKI digne Tibi; quam populus sibi  
Phanicum posuit pius,  
Dignam Sole geris, Tu sapientiam,

Quando

*Quando publica non times,  
Disceptando, Sophum discere dogmata.  
Ornat Te eloquij lepos  
Svaris, Nestoreo quando Politicas  
Doctrinas loqueris stylo.  
Ergo pro meritis, tanta laboribus  
Hæc merces placeat Tibi;  
Quod conviva manes lectus Apollinis;  
Qui magnis faveat Tibi,  
Inter Pierides semper honoribus.*

IV. V. D. JACOBO SARNECKI,

*Mensa Democratica Cimonis Atheniensis, Sapien-  
tibus competens.*

CVM LEMMATE:  
Hæc alit sapientes.

Avream quisquis studiositatem  
Diligit, Phæbo nimum placere  
Se sciat; Musæ comitantur illum,  
Syrmate longo.

Sedulibus semper solitum favere  
Numen, & celsus resonando Pindus  
Vocibus centum, celebrat per Orbem  
Carmine doctos.

Talibus magnos tribuit favores  
Pallas, illorum meritum coronis  
Laureis ornat, studiositatem,  
Qui bene tractant.

Docte SARNECKI studiosa quantum,  
Mens tibi pectus colit eruditum,  
Quando scrutaris ratione doctâ,  
Abdita rerum.

Tullij Suadam sequeris disertam;  
Arctius Musas comitaris unde,  
Mens Tibi semper docilis, bonisq;  
Artibus apta.

Ergo iam mensam sapiens habebis  
Quæ Tibi fructus feret è Sacrato  
Cynthij Luco, valeas perennem ut  
Ducere vitam.

V. V. D. VINCENTIO SUCHOCKI,

*Mensa Socratis Philosophi fructibus amigdali referta*

CVM LEMMATE:  
Fracto putamine pascit.

C 2

Mensa

**M**ensa Socratica conveniet Tibi  
SVCHOCKI nitide ponere fercula  
Nam Te Socraticus condecorat quoq;  
Delphis Sarmaticis, nunc melior Tripas  
Olim victor eras Nomine, re modo,  
Mansuetos humiles, & dociles Tua  
Virtus quot superat? nunc Helicon stupet  
Craci. Quanta Tu gloria vertici  
Quando pro meritis in Sapiaentia  
Aula, Palladius ferta capis pugil.  
Ergo dulciloquis Suada Tibi magis  
Exundet, Sophia cresce laboribus,  
Vt sis Socraticis, dignus honoribus.

VI. V. D. CASIMIRO DOBRAKOWSKI,  
Mensa Pythagorica, fructibus ex Lauro decerpis,  
instructa.

CVM LEMMATE:  
Et Decus & Escam.

**N**unc intemperies Sybaritica cedat ad Orbis  
Extremas partes non memoranda ruat.  
Non portenta Gulæ, non mollia fercula discas,  
Non luxus, pompas evchat, illa suas.  
Qui soliti dapibus mensas onerare superbas;  
Contemnit tales, doctus Apollo viros.  
Ille nec illecebras quærit, nec comprobatur unquam,  
Phabo, Pythagoræ mensa rotunda placet.  
De qua mellifluos, ut sumas ore lepores  
DOBRAKOVÍ, Pallas Cracia, sollicitat.  
Ac ut Nestoreos, valeas profundere sensus,  
Nunc reficit vires, docta Camæna Tuas.  
Ergo qui genio polles, qui dogmata calles  
Plurima Philosophi, præmia digna cape.  
Pythagoræ mensam, laurus quam fructibus ornat,  
Phœbus proponit credo salubris erit.

VII. V. D. JOANNI JANTASZYNSKI,  
Cariotides fructus, Palmarum olim apud antiquos in  
delitijs habitos.

CVM LEMMATE:  
Dulcia promeruit, qui iam gustavit amara;

**C**ynthius, Palma sapos, JOANNES,  
Dat Tibi fructus; meruò laborum  
Namq; multorum patiens manendo  
Quæris honores.

Palma

Palma natura veluti secreto,  
Crescit appensis onerata saxis,  
Sic Tuus crescens animus sub amplo  
Pondere durat.  
Perdus, pernox, geminans labores,  
Docta Musarum monumenta lustras,  
Maximis nec non studijs volutas,  
Scripta Sophorum.  
Ergo conatus hodie coronat  
Phæbus, & mensam Tibi dat, vetusto  
Saculo Regum celebrata quondam  
Qua fuit usu,

VIII. V. D. BASILIO SAWICKI,  
Heroicam mensam, Caricas, cibo, Lydorum suavi-  
ssimos continentem.

CVM LEMMATE:  
Ultimo prima.

**M**Os velut armigeri, celebris solet esse Gradii,  
Vt fortis cuneos, Bellator, & agmina claudat:  
Sic Te Sarmatico Craciæ nunc Palla dis Heros,  
Ductores nostri fortem posuere bonumq;  
Vt claudas agmen Victricia signa sequentium  
Heroum Phabi Cracij; documenta relinques.  
Virtutis solidæ, quam tot conatibus ipso  
Excolis à puero. Quæis Te dignum celebrabo  
Laudibus, & Sophiæ, gnarus Svadaq; Cothurno,  
Cedro digna loqui, calamoq; notare paratus.  
Quidquid Nicomachi genitor, Cneasq; disertus  
Seu Maro præclarum quidquid fecere per Orbem,  
Tu ratione capis docili, memoranda recondens,  
Heroum mensam capias igitur: Tibi primum,  
Inter nos pariat feliciter ipsa Trophœum,  
Vt vivas valeasq; diu, solatia Phæbo  
Vt Cracio facias; votorum summa meorum.

I.V.D. IOSEPHO ANTONIO MANSY  
PRIMÆ LAURÆ CANDIDATO,

AUTHORI OPERIS.  
NICOLAVS GORDON,  
Ejusdem Laureæ Candidatus Offert,  
Malum Punicum apertum.  
CVM LEMMATE:

Quot grana tot gratiæ,

**P**roles Tonantis Calliope, cui  
Litant sereno sidera poplite,  
D

Laro

Tam parce summis; sed Bootæ  
 Perrapidas Borea phalanges;  
 Huc vecta curru siste: saporibus,  
 Labri corallum quid niveis alis?  
 Quos melle distillat iocosis.  
 Blandities saliens corymbis.  
 En delicati per iuga Cræidos  
 Fructus pererrant! dente severior  
 Hos brumâ non ledet, propinat.  
 Quos titulis radians honorum,  
 Nostra Camenæ delitium & decus  
**MANSY** sonore quem scatebra canunt  
 Pindi decorum; fama cygnis  
 Per Lechicas Italasq; late  
 Devexit oras, multivagus honor  
 Inscriptis ævis, fila sororibus  
 Rumpenda nunquam dans, bonorum  
 Te cumulo renitente cinxit.  
 Vita recentes primitias ego  
 Tua relinquo, gloria Te sua  
**MANSY** recepit dexteri Te.  
 Laurigeri Genit. i. honoris  
 Virtus reportat, muneribus beans.  
 Ori corallum dat pudor, Atticâ  
 Fert mella lingua Svada, corde  
 Acre locat probitas Athenum.  
 Dotatus istis cœu placidum mare,  
 Arguta fandi pignora devehis,  
 Carus Lycæus, verba nam quot,  
 Tot niveas premis ore gemmas.  
 Non gesta Flori, barbata Pindari,  
 Aut ora Tulli; seu Taciti grave  
 Ponderis quis actorum requirit,  
 Valerios, Lucios, Catones,  
 Cum das palestris. Ore Demosthenem  
 Spirans amano pectore Livium.  
 Plectrisq; iucundis Homerum,  
 Conspicuis genio Stagyra.  
 Sed pauca de Te Musa refert mea  
 Tu quippe mentis clarior ignibus,  
 Et plectra, sic laudis Camenæ  
 Exsuperas calamosq; vatium.  
 Fraternalia sumas munera; gemmeâ  
 Quæ gratiarum messe superbiunt.  
 Dum corde voverit gratias tot,  
 Punicæ quot feret ora fructus.

Permissu Magnifici Domini  
 RECTORIS.



1230

601-

17/58

